Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26003
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Tota causę defensio in ultima clausula constituitur qua dicit: Et in sabbato circumciditis hominem. Propterea inquit quia unum opus feci et omnes miramini, et mihi indignamini; propterea inquam iam nunc legitima defensione utens dico vobis: Moyses dedit vobis circumcisionem, id est sicut cetera sic et hoc mandavit vobis ut circumcidatis hominem. Et dico quia ex Moyse est, non quia ante Moysen ex patribus est scilicet Abraham, Ysaac et Iacob. Ex patribus inquam id est ex eo quod sunt patres qui crediderunt semen se accepturos in quo benedicerentur omnes gentes. Similiter et sabbatum Moyses dedit vobis, non quia ex Moyse est sed ex Deo, id est ex eo quod requievit Deus die septimo ab omni opere suo et benedixit diei septimo. Cum ita diversis ex causis circumcisionem et sabbatum unus idemque Moyses scripto dedit vobis, et antiquior sabbati quam circumcisionis causa sit, et circumcisio quidem ex patribus, sabbatum vero ex Deo sit, in sabbato circumciditis hominem ut non solvatur lex Moysi, et si quando absque ulla exceptione sabbati iubet hominem die octavo circumcidi. Ad hec inquam: Si circumcisionem accipit homo in sabbato ut non solvatur lex Moysi, mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato?

Totum inquit hominem sanum feci in sabbato. Circumcisio vero quamquam bonum opus est et ideo non est violatio sabbati, non tamen totum hominem sanum facit. Illa et si interiorem sanat hominem in his dumtaxat quos causa tenet cuius circumcisio signum est scilicet Abrahe fidem, non tamen exteriorem sanat, sed potius ledit et dolore afficit hominem. Ego autem dum hoc opus facio in sabbato propter quod mihi indignamini, ubi gratia dum dico huic: Tolle grabatum tuum et ambula, alii vero: Extende manum tuam, alii autem ceco nato lutum super oculos pono, totum hominem sanum facio, quia videlicet dum extrinsecus redintegro, intrinsecus ad fidem informo, videntibus cunctis quod non humano vel communi medicorum opificio, sed divina virtute rem perficio. Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium IUDICATE.

Et quidem vir despectus et novissimus virorum ego considerari sum et aspectus meus in me non est. Moyses vero vir magnus et spectandę memorię, vir antiquus et primus populi Dei dux, cuius facies ex collocutione Dei splendida facta est. Sed enim precepit lex quam dedit vobis idem Moyses non considerandam personam pauperis nec honorandum esse vultum potentis, sed iuste inquit iudica proximo tuo. Igitur nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate, id est non faciem Moysi faciemque vel presentem personam filii hominis, sed merita rerum pensate. Circumcisio quam [illegible] dedit vobis Moyses ut predictum est filios Abrahe qui fidem eius secuntur interius quidem [illegible] sanat, ne pereat anima illa de populis suis, sed exterius vulnerat. Ego autem qui totum hominem sanavi unum [illegible] autem et solum opus quod feci in sabbato interius hominem sanat et exterius probante exteriori sani[illegible]tate quod habeat filius hominis intra potestatem dimittendi peccata, que est interior sanitas cuius circumcisio specie promissum semen Abrahe, quod est Christus, preparat. Quid ergo me queritis interficere, nullam aliam habentes causam nisi quia totum hominem sanum feci in sabbato? Quod ad hec illi tacuerunt et infirmitatem causę sue licet invitam confitentes iras suas ad tempus continuerunt, sequentia patenter innuunt. Ita sequitur: Dicebant ergo quidam ex Ierosolimis: Nonne hic est quem querunt occidere? Ecce nunc palam loquitur et nichil ei dicunt.

Ac si aperte diceret: Iudei quidem quibus dixerat: Quid me queritis interficere, responderunt: Demonium habes, quis te querit interficere? Et nunc eodem domino Ihesu per se rationem reddente tacebant.